

operibus addixerat, ut, quum cibi capiendi caussa recubuisse, cogitationibus inhaerens, manum ad mensam porrigere oblivisceretur.

Est animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, consideratio contemplatioque naturae.—Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem.

### CAPUT III.

#### PERTINAX LABOR ET DISCIPLINA NATURAM VINCUNT.

1. In Demosthene tantum studium fuisse tantusque labor, dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superarit. Quumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo pianus eo iocutus putaretur.—Deinde perduxit exercitatione continua ad maturum gratumque auribus sonum vocem suam, quae propter nimiam exilitatem acerba auditu erat. Lateris etiam firmitate defectus, quas corporis habitus vires negaverat, a labore mutuatus est.—Conjectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat: neque is consistens in loco, sed inambulans, atque adscensu ingrediens arduo.

Declamatans in littore, in quod se fluctus illidebat, consuescebat concitatarum concionum fremitus non expavescere. Cellam quoque aedificasse subterraneam dicitur, in qua duos, tresve menses continuos, aliquando inclusus, operam dabat gestui et voci, et quidem media parte capitatis abrasa, ut in publicum sine verecundia prodire non posset.—Praeliatus est cum rerum natura: et quidem victor abiit, malignitatem ejus pertinacissimo animi robore superando.